

Q.K.
353, 26

X 1864125

I. N. D. N. I. C.

DISPUTATIONEM POLITICAM

De

REGNO

Ejusq;

RATIONE STATUS,

In

Celeberrima VVittebergensi,

SUB PRÆSIDIO

M. JOH. ERNESTI *Hering* /

Colleg. Philosoph. Adjuncti,

publicè habebit

AUCTOR ET RESPONDENS

ELIAS *Zebecker* /

Dresd. Misnicus.

IN AUDITORIO MAJORI

Ad D. III. Octobr. Hor. Pomer.

A. Æ. V. M. DC. LXVIII.

VVITTENBERGÆ,

Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typogr.

II B
1534



227



737.

Summam potestatem Rempubli-
cam, quæ civitatis forma & anima quasi
est, in simplicem & mixtam dividere, atq; illius
varias iterum species, nim: si majestas penes unū
Monarchiā, si penes plures Aristocratiā, si penes
omnes Politiam constituere: hasq; ratione finis
in rectas & corruptas distingvi, neminem, qui doctrinam Politicā
primis tantū labris degustavit, latere certus sum. Rectarum a. spe-
cierū, [nam de corruptis nullum dubium, quin istæ quod nomē e-
arum satis demonstrat, si commodè fieri possit, eradicandæ po-
ti9, quæ defendendæ sūt,] quænam regimini convenientissima
ac saluberrima, plurimaq; commoda secum trahat, non nova au-
nudiū tertius nata, sed trita satis & vexatissima quæstio est; nec
unanimi Politicorum consensu deciditur. Mihi quæquam inge-
nii mei tenuitatem subtilissimæ huic materiæ neutiquam suffi-
cere sciam & lubentissimè fatear, exercitii tn. gratiā Regno pri-
mas impræsentiarum deferre lubet. Quapropter & exercitium
hoc Politicum de Regno publico eruditorum examini submitte-
re, ac non tantum regni naturam, causam, eminentiam, ut & mo-
dos ad id perveniendi generaliores; sed & rationem status Re-
giam proponere suscepi, ad hoc maximè commotus, quod non
tam scire quidditatem regni, quàm conservationem ejusdem ex-
pedire statuam. Nec hoc quempiam mihi vitio versurum esse
confido. Licet n. ad conservationem stat9 experientia potissimum
requiratur, quam mihi arrogare neutiquam queam; nterim tn. e-
tiam negari vix poterit, quod citra eandem præcepta quædā ge-
neraliora hanc vel illam Reip. formam in statu suo conservandi
tradi possint. Quod etiam Nobis facere animus est, Tuam, ô Do-
mine Jesu! adstantiam devotè supplicantibus.

SECTIO I.

Vocabulum regni, quum in omnium fermè ore quotidiè geratur,
adeoq; vulgare sit, ut neminem esse, quem ejus etymologia & sy-
nonymia lateat, mihi persuadeā, de ijs multa verba facere, haud

opus existimans, ad illud potius, quod ad institutum meum quicquā conferre aptius est, homonymiam sc. hujus vocabuli, ut illud ab ambiguitate sua liberem, & quanam acceptio mea sit, planum fiat, paucissimis tñ, cum nec instituti mei ratio, nec angustia charta plura de eadem verba admittrat, me converto.

CAPUT I.

HOMONYMIAM TRADENS.

§.1. Accipitur vocabulum regni nonnunquam latè & vulgari-ter pro quovis imperio & Rep. germ. ein Reich. Quo sensu dicere solemus regnum Germanicum, regnum Turcicum &c. Deinde strictius nonnihil pro eo imperio, quod Regalem dignitatem obtinet, & in quo imperans Regis nomine gaudet, germ. ein Königreich: Ut regnum Hungaricum, Danicum, Svecicum &c. Deniq; strictè & politicè pro ea Republ. in qua unus regnat ad publicam utilitatem.

§.2. In hoc posteriori significato sumitur iterum l. propriè, l. impropriè. Regni impropriarum dantur species, quarum prima dicitur regnum $\kappa\tau\iota\ \nu\acute{o}\mu\omicron\nu$, quod Respubl. est, ubi unus maximè secundum leges imperat. Vocat hoc Aristoteles (a) Laconicum, quia in Republ. Spartana maximè erat conspicua; non a. eo sensu, ac si solis Spartanis familiare fuerit (b) cum & apud Chartagineses id in usu fuisse Ubbo Emmius (c) & in Republ. Cretensum Aristoteles (d) testetur. Regni hujus quàm tenuis potestas nec ad constituendum verum regnum sufficiens fuerit, describit CL Felwingerus (e) & apud eundem citati autores.

§.3. Altera species est regnum Barbaricum, quod Respubl. dicitur, in qua unus habet summam potestatem tyranicæ haud ab- similem, legitimè tñ. acceptam. Dicitur hoc Barbaricum, quia apud Barbaros maxime floruerit. Barbari a. hîc loci non ii dicuntur, qui ab omni humanitate & virtute alieni sunt, sed qui servili ingenio præditi, & imperium herile æquo sustinent animo. Ac proinde etiam additur, quod legitimè acceptum sit, quia sc. hereditarium, atq; ita in volentes exercetur nec contra naturam est. Quidam n. populi adeo ad servitutem proniores sunt, ut liberè vi-

(a) 13. de Rep. 4 (b) Felwinger dissert. pol. de regno §. 8. (c) in descript. Reipubl. Chartag. (d) 2. pol. 10. (e) loc. cit. vere

vere nesciant, atq; ita herile tanquam ingeniis suis convenientis-
simum regimen non iniquo, sed luculentissimo animo perferant.
(f) Regnum hoc à vero regno sine potissimum differre quilibet
videt, cum magis & primario ad suam salutem in eodem impe-
rantes respiciant, quam ad subditorum, quorum commodum
verum regnum primario intendit.

§. 4. Tertiam speciem Aristoteles (g) vocat regnum Æsymneti-
cum, quod Resp. definitur, ubi unus extra ordinem & præter mo-
rem tempore necessitatis cum summa potestate constituitur, ut
tn. ille salutem subditorum non nisi secundario attendat. Unde
ita dicatur exponit *Felwingerus* (h) quem si lubet, vide.

§. 5. Quarta species ab Aristotele dicitur regnum Heroicum,
quod Remp. cum *Celeb. Cellario* (i) definimus, ubi propter illustre
aliquod beneficium aut virtutis eminentiam uni delatum est im-
perium, non tn. cum summa & absoluta potestate. Heroicum nun-
cupatur, quia ob facta Heroica parentibus collatum ad liberos
derivabatur (k) Cum n. homines nondum inventis artibus & re-
rum scientiis simplicem vitam dispersi per agros & ex rapto sub-
sidia annonæ quærentes colerent, illi ejusq; posteris, qui prudenti-
a & fortitudine l. alia virtute civili præ aliis eminebat, imperium
in se concedebant, ita se securos à potentiorum injurijs & omni-
um ad vitam necessariorum abundantiam sperantes. (l) Sicut de
Codro apud *Justinum* (m) legimus, quod cum à Dorum servitio
Athenas, seipsum pro patriæ salute morti offerendo, liberasset, ei
Regium nomen concessum sit, memoriæq; ejus, ut nemo post eum
Athenis Regis titulo insignitus sit, tributum.

§. 6. Hæ sunt species regni improprie sic dicti, nunc ad proprie
acceptum, regnum sc. panbasilicum progredimur, quod Resp. simplex
& quidem recta est, atq; dominatui & tyrannidi opponitur. De hoc,
antequam ulterius provehamur, qn. disputatione Nostrâ de regno
inscripsimus, nobis sermonem esse, eaq; omnia, quæ in subse-
quentibus dicentur, intelligenda, monemus. Cæteras enim
jam recensitas species nomine magis, quam re tales esse, ex mo-
dò al-

A 3

(f) *Dn. Conringius disp. de regno & tyrann. § 17. (g) l. cit. (h) l. cit. lb. 22.*
(i) *pol. lib 2 cap. 2. n. 20. (k) Idem l. cit. (l) Vid. Dn. Conringius in disp. de*
regno §. 20. (m) lib. 2. cap. 6. & 7.

ad allatis & jam proferendis pateſcet, ſicuti & proinde impropria dicuntur.

CAP. II.

ESSENTIAM EXPONENS.

§. 1. Definit *Aristoteles* (n) *regnum* proprie ſic dictum Monarchiã, in qua unus cum ſumma poteſtate imperat, & ad communẽ uiſitatẽ respicit. Hanc definitionem nos hic retinemus. Genus in definitione allata eſt Monarchia. In quonam v. ſenſu hĩc loci uſurpetur, probẽ tenendum eſt. Non in eo ſenſu, quo regnum & monarchia ſibi æquipollent; nec in eo, quo monarchia regno opponitur, prout accipitur ab *Aristotele*, (o) quando inquit: Non ſunt nunc amplius regna, ſed ſi quæ ſunt, monarchiæ & tyrannides magis ſunt; multominus, cum pro ea Rep. ſumitur, quæ potentia, autoritate, ſubjectorum & clientum multitudine omnia regna ſuperat, in qua ſignificatione de quatuor mundi monarchiis prædicatur; ſed in eo ſenſu, quo regnum, dominatum & tyrannidem ſub ſe comprehendit, & Remp. denotat, in qua unus omnium Dominus. (p) Et in hoc accepta legitimum regni genus eſt, cum latiùs eo ipſo pateat, quod ad verum genus requiritur.

§. 2. Differentia deſumitur à requiſitis regni. Ex his I. eſt, ut unus ſummã poteſtatem habeat, in quo differt ab Aristocratiã & Democratiã, cum in illa plures, pauci tn. in hac omnes imperent. An itaq; Rep. illa, in qua duo ſ. tres indiuiſim regnãt, monarchia ſit dicẽda, hic quæritur? Qui hoc affirmant, diſtingvunt, an pro indiuiſo ſ. diuiſo imperent, & an ita quis in regnum recipiatur, ut eandẽ cũ Rege poteſtatem habeat, & pro una perſona ambo habeantur; an v. ſolius adminiſtrationis gratia: Prioribus caſibus, ſi ſc. pro indiuiſo imperent & unam tantum perſonam repræſentent, Monarchias defendere allaborant. Nos cum *Dn. Felwingero* (q) & ejuſdem Patronis hoc ipſum negamus, quoniam natura Monarchiæ non admittit, ut duo rerum domini ſint, & vocabulum ipſum Monarchia fatiſ innuit, quod unus omnium ſummam poteſtatem habere debeat. Diſtinctio, quam aſſerunt inter diuiſim & indiuiſim imperare, aduerſarios noſtros nil iuvat. Quid enim

(n) 3. pol. 7. (o) 5. pol. 10. (p) *Idem* 1. *Rehb.* 8. (q) *differt. pol. de monarch. §. 11. ſeqq.*

enim aliud Aristocratiam constituit, quam ut pauci, plures tamen uno indivisim administrarent? Oligarchia igitur potius, ubi duo lites indivisim imperant, quam Monarchia erit appellanda. Nec quicquam facit, quod unam tantum personam representent, cum & hoc Oligarchiae proprium quoddam sit, ut in eadem plures moraliter pro una persona ratione potestatis habeantur. Hoc concedimus, quod si territorium quoddam inter imperantes dispartitum fuerit, ita ut quivis in sua regione plenissimam potestatem habeat, tunc provinciae illae, in quas divisum, vera regna sint, & ij, sub quorum potestate, Regum nomine recte insigniantur.

§.3. II. Requisitum est in omnibus summa potestas. Nam sicut ex antecedentibus elucet, quod monarchiae unus praesit, ita nunc requiritur, ut in omnibus supremam potestatem & liberam administrationem habeat. Denegat *Dn. Perezus* (r) Regi absolutam potestatem, ex hac ratione, quod ea observare teneatur, quae ad salutem publicam spectent. Sed quid hoc majestati Regis detrahit? nihil sane, sed hoc potius facit, ut Regis nomen mereatur. Nisi enim utilitatem Reip. intenderet, non Rex, sed Tyrannus esset. Porro, si Rex non habet absolutam potestatem, sequitur, quod regnum non sit species Rerump. quod tamen Ipse (s) affirmat, siquidem, in quacumque Rerump. specie majestas adsit, necesse est: quae igitur si in regno non esset, regnum Rerump. speciebus annumerandum non esset, & per consequens nulla daretur Resp. recta eaque simplex.

§.4. Cum igitur nunc constet, summam potestatem in Rege requiri, an legibus is solutus sit? quaeritur. *Arniseus* (t) *Perezus* (u) & alij distinguunt inter LL. naturae, Gentium & Civiles. Legibus naturae & Gentium illum obstringi; legibus v. civilibus s. positivis Regem solutum esse asserunt. Nos non omnimodo rejicimus eam explanationem, sed nec displicet distinctio *Covarruviae* (x) inter vim directivam & coactivam. Regem quoad vim coactivam si forum humanum spectes, legibus omnibus exemptum esse certum est; non v. quoad vim directivam, si vel maxime leges quoque civiles respiciamus. Princeps n. aq; ac alius homo juri naturae [de vi di-

rectiva

(r) *jure publ. cap. Princeps absoluta potestate non utitur, sed tyrannus pag. m. cont. (s) Ibid. pa. 2. (t) polit. cap. 11. (u) loc. cit. p. m. 73. seqq (x) in Relect. cap. alma mater part. 1. §. 1. n. 4.*

rectiva loquor] subjectus est. Sin a. LL. naturæ tenetur, cur non & civilibus, cum hæc fundamentum suum in jure naturæ habeant.

§. 5. Quid nunc de fundamentalibus censendum? facile patet. Cum n. ille, qui iisdem adstrictus est, ex plena voluntate & suo arbitrio operari non queat; contrarium v. summæ potestatis affectio sit, easdem summæ majestati detrahere firmiter statuimus. Contrarij nobis in hac parte sunt *Dn. Perezius* (y) & quodammodo *Arniseus* (z) Ex qua ratione ille id faciat, vix video; mentem tn. ejus hanc esse puto, quòd propterea, quia ea, in quæ jurat Princeps, justa & bona sint, etiam majestatem infringere non possint. Annectit n. juramento, in quod inaugurandos Principes jurare dicit, hæc verba: quæ cū justa sint, boni Principis justa potestate utentis, nō minuunt aut tollunt auctoritatē, sed illi maxime cōsulitur. Ad hoc ipsum respondet *Dn. Arniseus*, quando distinguit inter juramenta illa, quæ Principem obligant ad leges Reip. & ea, quæ ad honestatem, Dei & naturæ leges. Illa majestatem imminuere statuit, quia is, qui caput est majestatis, potestate leges ferendi se privat, dum promittit, se immunitates, privilegia, leges &c. servaturum; hæc v. minimè. Juramentum igitur à *Dn. Perezio* appositum, cūm Principem in leges & privilegia, sicut ex verbis ejusdem manifestum est, ceu obligatum civiliter revocet, majestati detrahere certum est. Et ut idem *Arniseus* in paulò antecedentibus verbis loquitur, contradictionem involvit, subditos Principi dare leges, quas accipere teneatur, quod tn. fit, si in leges fundamentales juramentum præstat. Quamvis v. hæc omnia in quæ se jurejurando obstringit Princeps, justa sint, nō tn. sequitur, quod non imminuant auctoritatem. Quanquam a. quoad primum distinctionis membrum ab *Arniseo* allatæ à partibus ejusdem stemus, posterius tn. ut abjiciamus, hoc facit: Cūm Princeps legibus naturæ per se subjectus sit, ideò non opus est, ut eidem denuò præscribantur. Quod si fit, populus sibi licet non expressè, tacitè tn. quandam potestatem in Principem vindicat.

§. 6. Quæstio. hic porrò ea ventilanda venit, an illis, quibus summa potestas ad certū duntaxat tempus concessa sit, majestati propriè competere dici possit? *Bodinus* & *CL. Liebenhal* (a) hoc ipsum

(y) l. c. p. m. 54. (z) in pol. o. u. p. m. 272. (a) in coll pol. exerc. 7. th. 14. § 12.

ipsum negant. Ratio eorum est, quòd propterea eum, qui certo tempore finito, majestatem deponit, superiorem agnoscere, necesse sit. Nos cum *Hugone Grotio* (β) affirmativam defensitamus. Ratio nostra est, quia, ut *Grotius* loquitur, duratio temporis rei naturam non immutat, quamvis, si de dignitate queratur, dubium non est, quin ea major sit in eo, cui jus perpetuum datum est, quàm cui temporarium, quia ad dignitatem facit habendi modus. Licet igitur potestas ad certum tantum tempus duret, quò minus tñ. vera & propriè dicta majestas dici possit, non obstat, eò quòd potestati ad certum tempus concessæ competat definitio majestatis, & propterea etiam definitum. Quod ne adversarii nonnulli inficiantur. Quidam tñ. definitioni majestatis addunt, quòd perpetua esse debeat. Sed hoc ad majestatem propriè dictam nil facere, jam dictum est, sicut homo, qui ætatem ad duos tantum annos perduxit, non minus homo est, quàm ille, qui ad quinquaginta l. sexaginta. Distinctionem tñ. hinc probè observes inter potestatem ad certum tempus irrevocabiliter concessam, & potestatem ita concessam, ut quovis tempore revocari possit. De illa, quando statuimus, quòd potestas ad certum tempus concessa vera majestas sit, nobis sermo est. Hanc v. non propriè majestatem esse largimur. Et ex hisce responsio ad rationem illam, quam nobis obstare diximus, in propatulo est. Nani si dicunt, quòd is, qui certo tempore finito majestatem deponat, superiorem agnoscat, accipimus id de majestate ita concessa, ut quovis tempore revocari possit, atq; ita concedimus. Si v. id accipiunt de majestate ad certum tempus irrevocabiliter concessa, negamus, quòd propterea, quia post tempus definitum elapsum ad dominum suum redeat, superiorem agnoscat. Objicis cum *CL. Liebenthalio*: (γ) Si majestas potest esse sine perpetuitate temporis, sequitur ex eo, tempore interregni in Imperio nostro Romano-Germanico majestatem esse penes Vicarios Imperij nostri, Saxonem nim. & Palatinum; sed hoc à nemine Politicorum & Publicistarum fuit unquam assertum. Respondemus ad hoc, ipsum concedendo, quòd majestas tempore interregni penes Vicarios esse possit, ex eo tñ. non sequitur, quòd semper & ubiq; sit. Deinde distingui-

B

mus

(β) de J. B. & P. cap. 3. (γ) l. cit.

mus inter gubernationem & administrationem. Gubernatio cui concessa est, illum majestatem habere dicimus; cui v. administratio, illum exercitium potestatis. In imperio igitur nostro Romano cum vicarijs tempore interregni non gubernandi, sed administrandi saltem concedatur potestas, etiam de iis, quod potestatem habeant, dici nequit.

§.7. Non alienum à re nostra erit, hinc, paucis tamen, egregiam illam Politicorum de regno Romano Germanico controversiam proponere, cum multi sint, qui statum Monarchicum in eodem florere firmissimè statuunt. Pro stabilienda v. sententia sua maximè urgent, quod Imperator, præ cæteris omnibus statibus, prærogativa quædam gaudeat, & potiora jura majestatis sine ullo Procerum consensu exerceat. Nos, si naturam Monarchiæ penitus paulò introspiciamus, à partibus eorum neutiquam stare possumus. Requiritur n. ad Monarchiam non tantum, ut unus in eadem sit, qui cæteris potestate antecellat, sed in simul, ut in omnibus ille unus summam & absolutam potestatem habeat. In imperio v. hodierno Germanico Imperator non in omnibus absoluta potestate utitur, sed statum consensum in nonnullis expediendis requirit, imò in leges fundamentales jurate cogitur, quas majestatem infringere supra diximus. E. Imperium nostrum erit ex Monarchia & Aristocratia mixtum, ita tñ. ut Monarchia præponderet, cum Imperator nonnulla jura majestatis absq; statum consensu exercere possit. Exinde tñ. non sequitur, quod Monarcha propriè Imperator sit, quanquam aliqua imò potiora jura majestatis habeat, cum ad constituendum verum Monarcham non sufficiant quædam vel etiam nobiliora majestatis jura, sed ut omnibus fruatur, & nullum planè similem in Imperio suo agnoscat, id requiratur. Quod tñ. in imperio nostro cessare ipsi adversarii nostri fatentur, ut ideò ratio eorū ad corroborandam nostram, quam ad illorum sententiā, faciat. Plura qui desiderat, assentes nobis *Besoldum* (d) *Keckermannum* (e) *Schönbornerū* (f) *Liebenthalium* (g) *Arnisaum* (h) *Felwingerum* (i) consulat.

§.8. III.

(d) classe 1. disp. 8. n. 5. (e) disp. pract. ult. quest. 12. (f) pol. lib. 1. c. 16. (g) coll. pol. exerc. 8. quest. 1 (h) polit. cap. 8. de Rep. mixta. (i) dissert. pol. de monarchia tb. 16. & diss. de republ. mixta tb. 53.

§.8. III. Requiritur salus publica. Qui n. Regis nomine gaudere cupit, salutem publicam intendat oportet. Quo ipso etiam Rex à Tyranno differt, cum ille utilitatem Reipubl. communem; hic v. privatam pro fine habeat. Dicitur a. tunc potissimum salutem publicam respicere, quando, uti *Philosophus* ait, (κ) omnes pariter subditos amore paterno complectitur, illorumq; tantam, quantum bonus Pater filiorum curam habet: neq; pauperes, neq; divites injuriam pati permittit, neq; gratiæ [verba sunt *Taciti* (λ)] neq; severitatis expertem sese sistit: non præmia sub dominis, non pœnæ sine arbitrio sunt. Paucis: Si Princeps ea, quæ ad conservandam Remp. & omnium in eadem salutem, felicitatem, securitatem & incolumitatem faciunt, procurat. Hæc v. salus publica non impedit, quò minus & Princeps suam utilitatem intendere queat. Sed ut nauta, ceu declarat *Aristoteles*, (μ) dum communem eorum, quos navis continet, salutem intendit, simul etiam suam respicit, cum & ipse sit ex eorum numero, quos navis continet; ita & qui communem eorum in aliqua Reipubl. salutem quærit, simul & suam quærere potest. Et hoc regnum à dominatu distinguit, in quo Dominus suorum salutem secundario tantum, primario suam procurat; in regno v. Rex primario suorum, secundario suam utilitatem.

C A P. III.

CAUSAS DEMONSTRANS.

§.1. Hactenus essentiam veri regni proposuimus. Nunc de causis ejusdem quædam monenda sunt. Cum v. in enucleatione definitionis Regni causam formalem, quæ in eo consistit, ut unus summam potestatem habeat, ut & finalem, quæ salo Reip. publica est, tradiderim, nunc ad efficientem & materialem progredimur.

§.2. Quod itaq; causam efficientem attinet, majestatis unicam laudare Deum, & consecrare illi originem, & ad omnipotentem referre autorem, obstinatum sedet ac fixum manet. Tantæ indignationis est summum istud inter homines imperium, ut non nisi summam agnoscat causam. Id quod non miraculosi tantum modi, quibus nonnullos ad imperium evedtos ex Scriptura S. nominimus, sed etiam testimonia sacra demonstrant. Dicunt Divina Sa-

B 2
 (κ) 8. Eth. 12. (λ) lib. 1. ann. (μ) 3. pol. 6.
 sapientia

pientia Deus (v) Per me Reges regnant, & LL. conditores iusta de-
 cernunt: per me Principes imperant, & potētes decernunt iustitiā.
 Et alibi: (ξ) Sicut prius ex die, quo constitui Judices super popu-
 lum meum Israel. Sapientissimus Regum Salomo (o) inquit: Da-
 ta est à Domino potestas Vobis, & virtus ab altissimo. Et Genti-
 um Doctor Paulus: (ω) Non est potestas nisi à Deo, quæ
 verò sunt potestates, à Deo sunt. Infinita alia ex Sa-
 cris dicta afferri possent, quibus nostram sententiam corro-
 boraremus, sed quid opus, cum neminem nisi impium & a-
 theum hoc negaturum esse confidamus? Maxime, si ex scriptis ve-
 terum appareat, quòd etiam Gentiles de hoc dubitare sanæ rati-
 oni contrarium statuerint. Eques Rom. M. Terentius apud Tacitū
 (ρ) his verbis Tiberium Imperatorem alloquitur: Tibi summum
 rerum iudicium Dii dedere: Nobis obsequii gloria relicta est. Gal-
 ba apud eundem (σ) inquit: Me Deorum hominumq; consensu
 ad imperium vocatum. Audiamus Justum Lipsium (τ) in hæc verba
 erumpentem: Hoc monitum variam utilitatem Principi dabit, à
 Deo se & regnum: a Deo bona malaq; externa esse. Certum pro-
 inde & fixum est, omnem potestatem à Deo esse.

§. 3. Sed inquires: Si Deus Majestatis causa est, quid censendum
 de iis, qui fraude & malis artibus eandem obtineant? annon &
 & de ijs dici potest, quòd à DEO sint, cum tn. ipse iniquitates ode-
 rat? Respondemus: quanquam modus, quo quis nonnunquam
 Imperium occupati Deo minimè placeat, certum tn. est, quod i-
 psi à Deo hoc destinatum sit. Sed illud ex diffidentia hominum
 fit, quæ non rarò fraudibus & aliis inhonestis artibus, sine quibus
 se sua obtinere ne utiqvam posse arbitrantur, rem potiùs, quam
 Deo committunt, sine cujus tn. auxilio eorum labor inanis, quiq;
 si illi lubeat, quanquam omnibus refragantibus, Regem consti-
 tuere, & in nolentes Imperium concedere unicam potestatem
 habet.

§. 4. Idem & de Tyrannis dicendum, quos, quanquam vita &
 mores eorum Deo minimè accepti sint, cum præceptis divinis
 quam maximè repugnent, à Deo tn. quin dicamus esse in præce-
 denti
 (v) Proverb. 8. v. 15. (ξ) 2 Reg. 7. (o) lib. Sap. cap 6. v. 4. (ω) Rom.
 13. v. 1. (ρ) 6. ann. 8. (σ) 1. hist. 35. (τ) mon. pol. lib. 1. 5. 5.

dentibus allatae rationes obstant. Distingvas tn. velim inter potestatem ipsam & vitium superveniens. Potestatem eos a Deo habere clarum est; crudelitatem, raptorem animum & reliqua scelera ex sua depravata natura superaddunt, cujus impulsu commissam potestate pessime abutuntur. Nec quicquam facit, si objicias: Deum ex omniscientia sua hunc l. illum male regnum esse administraturum, scire, & proinde sequi, quod l. vita illius Deo accepta sit, l. ille potestatem a Deo non habeat. Respondemus n. neutrum sequi. Subsummus nos: Deus scit ex omniscientia sua hominum iniquitates. E. vult. Et porro: Deo praevidet hujus l. illius improbitatem. E. homo improbus quatenus homo non a Deo est. Utrumq; absurdum. Licet n. Deo praevideat cujuscunq; facta, ideò tn. homini liberam voluntatem non praescindit, sed illi permittit, ut pro lubitu peccare & non peccare queat. Accedunt peccata & crimina subditorum, quibus si divinam provocarint vindictam, nonnunquam Tyranni saevitiae & rapinis permittuntur, sicut hoc multis Scripturae S. dictis probari posset. Ut unum saltem proferam, verba Piissimi Jobi (v) sunt: Et super illos regnare facit tyrannum ad angendum populum.

§. 5. Nunc, cum ex haecenus dictis sole meridiano clarius sit, Deum causam omnis majestatis esse, an mediata l. immediata sit, item an Deus mediatè l. immediatè majestatem conferat, videntum? Diversissimae haec quaestiones sunt. Prima vult, an Deus unica & sola causa majestatis sit? Secunda de modis acquirendi agit, an Deus potestatem conferat, intercedente successione, electione l. alio modo? Quoad primam quaestionem, ut rem brevissimis expediamus, Deum causam majestatis immediatam, i. e. solam & unicam esse, adeoq; omnis causae propinqvioris & secundae influxum excludere dicimus. Rationem adducimus hanc, quod si daretur causa secunda majestatis, illam hominem, l. multitudinem esse, necesse sit. Neutrum v. horum esse, ex eo constat, quod ipsi potestatem nullam habeant, quod tn. si secundae causae sunt, requiritur, cum nihil sit in effectu, quod non prius fuerit in causis suis. Hominem non habere potestatem probam exinde. Si n. eade gaude-

B 3

(v) cap. 34. vers. 30.



ret homo, l. à natura, l. à Deo haberet. A natura non habet, quia, si hoc esset, de omnibus & idem dicendū foret, cū naturales qualitates singuli participant. Si v. singuli potestate valent, nemo potestati paret, quod tn. natura imperii requirit. Ac proinde etiam nec ab alio habere potest, quia, uti jam dictum, nullus imperium habet, & proinde alteri concedere non potest. Licet n. quis sese voluntati alterius subjiciat, accipiens tn. in submittentem imperium non consequitur, quia hic nullum in se habuit. A Deo illi ne utiqvā concessam esse ex eo constat, quòd, uti ex Scripturæ S. locis citatis manifestum, Deus eandem sibi reservavit. Hoc quidem verum est, quòd Deus nonnullis potestatem regnandi permittat, non v. potestatem regnum alteri tradendi. Multitudinem de hoc gloriari non posse, ex eo manifestū est, quòd, si potestas hæc eidem naturaliter inesset, sine destructione sui ipsius alteri concedere non posset, quia ea, quæ naturaliter insunt, perpetuò manent. Et porrò, multitudinem à Deo potestatem hanc non habere ex ratione, propter quam homini facultatem hanc à Deo inesse negavimus, patet. Nam Deus, licet populo anteqvā Regem constitueret, imperium concesserit, eo ipso tn. dum Regi potestatem hanc tradit, eandem populo adimit, nec ideò dici potest quòd populus majestatem in Regem tulerit, l. aliud quid ad eandem fecerit. Sicut Rex si alicui magistratum abrogat, & alium in ejus locum surrogat, non dici potest, quòd is, qui officium suum deponere cogitur, illius, qui eidem præficitur, causa sit. Ex his igitur cum certo certius sit, nō dari causam secundam majestatis, concludimus, quòd Deus prima & sola causa majestatis sit.

§. 6. Nunc ad secundam quæstionem pervenimus: An Deus potestatem cōferat mediatè, l. immediatè, i. e. an successione, electione l. alio modo utatur? Olim Deus Ter-Optimus Maximus Reges populis immediatè imponebat, sicut ex Sacris de Saule & Davide notum est. Hodie v. non nisi mediatè. Benè hinc observes distinctionem inter modum acquirendi majestatem & causam ejusdem. Quando nos in præsentem asserimus, quòd Deus mediante electione l. successione alicui majestatem concedat, non id ita accipiendum est, ac si nos electionem causam majestatis
face-

faceremus, sed nobis electio & successio modi sunt transferendi eandem. Modum v. accipiendi non causam majestatis esse, ex eo elucet, quod causa majestatem, quæ antea non erat, constituat, modus v. minimè, sed mediante hoc in subjectum à Deo destinatum transfertur.

§. 7. Hæc dicta sint, de causa efficiente. Nunc de materiali seu subjecto, in quod Rex potestatem suam exercet, quædam monenda sunt. Subjectum hoc dicimus esse civitatem, i. e. multitudinem l. populum, & quidem propterea, quia in quovis imperio subditos esse oportet, in quos potestas exerceatur. Cum itaq; in regno summa potestas penes unum est, cæteri omnes eidem subjecti sint, necesse est, ita ut Regi vitam & corpus, si ipse hoc ab iisdem postulet, & saluti suæ expediat, nec tn. mandato divino refragetur, debeant, s. Rex optimus, s. pessimus sit. Nam, uti jam dictum, hic æq; ac ille à Deo est, quamvis Deo adversus sit, quoad vitia; refert tn. adhuc eundem imperij potestate, cui obsequium justè denegari haud poterit. Hinc Apostolus Petrus (Φ) iniquis etiam dominis atq; severis parendū esse exhibendūq; honorem scribit. Quid itaq; de tyrannicis statuendum sit, ex hisce satis constare arbitror. Nam si obsequium Tyranno denegari non potest, multominus illi vim inferre licitum erit, sed potius justissimo judicio supremi Judicis tradendus ille est, vindicaturō severissimè, quicquid in populum commiserit.

CAP. IV.

MODOS AD IMPERIUM PERVENIENDI EXHIBENS

§. 1. Cùm non sufficiat scire, quid regnum sit, sed insuper requiratur, ut, quomodo quis ad id pervenire possit, haud ignoremus, ad modos adipiscendi Regiam potestatem considerandos incitatur. Obveniunt a. nobis varii, quorum nonnulli ordinarii, ut electio & successio; alii extraordinarii, ut occupatio, emptio, donatio, præscriptio, dotis loco datio &c. dicuntur. Nobis impræsentiarū de modis ordinariis agere, & quidem cùm cuilibet fermè, quid electio & successio sit, innotescat, eā tantūmodo hic quæstionem proponere placet: Quinam ex his duob; modis alteri præferendus sit? Uterq; suas rationes, quæ pro illo militent

(Φ) ep 1. cap. 2. v. 18.



litent, habet. Nobis, si easdem examinamus, plus roboris eas habere, quæ pro successione afferri solent, persuasum est, & ideo cum *Tholosano* (χ) *Bodino* (ψ) *Lipio* (ω) *Schönbornero* (1) successioni prærogativam tribuimus. Maximè, si consideramus, quòd ex electione varia proveniant incommoda, sicut hoc hodiernus *Poloniæ* status satis testatur, quem si quis consideret, quin successioni primas delaturus sit, nulli dubitamus. Rationes plures vide apud citatos autores, quas hic adferre paginæ non admittunt.

CAP. V.

EMINENTIAM REGNI DEFENDENS.

§.1. Regni quidditas & essentia ex modò probatis cognita est; comparatio nunc ejusdem cum aliis *Rerum publ.* formis instituenda, & an illud cæteris speciebus, i. hæ illi præferendæ dispiciendum est. Hæc vexatissima aliàs quæstio inter *Politicos* est, cum nonnulli *Rempublicam mixtam*, nonnulli *Democratiam*, alii *Regnum* defendant. Nobis regni defensoribus assentiri lubet ob gravissimas rationes. Quarum I. est, ut antiquitatem taceam, quâ cæteras *Reipl.* species omnes antecellit, naturæ convenientia. Natura, inquit *Seneca* (2) commenta est Regem ejusq; rei vestigia non in hominibus tantum, sed etiam in brutis cernimus. In apibus Rex unus. (3) eiq; amplissimum cubile est, mediocq; ac tutissimo loco (4) Dux unus in gregibus & in armentis rector unus. (5) Sol sicut in cælo unus ita & unius imperii corpus unius animo regendum (6).

§.2. II. Ratio, quæ regnum cæteris *Rebus publ.* præfert, est, quòd præ omnibus *Rerum publ.* speciebus commoditatibus gaudeat. Suspectum *Senatus populiq;* imperiū est ob certamina potentiū & amicitiam magistratum (7) En duas ibi pestes: certamina, & factiones, & exitum s. exitium, civilia deniq; bella: Avaritiam, & sunt nundinationes rapinæ, corruptelæ in magistratibus, in provinciis, in judiciis. (8) Ea conditio imperandi, ut non aliter

ratio
(χ) lib. 7. c. 4. (ψ) lib. 6. c. 5. (ω) mon. pol. lib. 2. c. 3. § 4 (1) pol. lib. 2. cap. 9. (2) lib. 1. de clem. c. 19. (3) *Plinius* lib. 11. nat. hist. c. 17. (4) *Seneca* l. cit. (5) *Cyprianus tract. de idol. van.* (6) *Tacitus* 1. ann. 12. (7) *Tacitus* 1. ann. 2. (8) *Lipius* mon. pol. lib. 2. c. 1. mon. 4.

ratio constet, quàm si uni reddatur, nec aliud discordantis patriæ remedium, quàm ut ab uno regatur, inquit *Tacitus* (9) Quæ n. inter se, cum multa sunt, dissentiunt, in uno conveniunt. (10) Et ubi multi imperant, nulla concordia, nulla justitia. Nulla concordia: suum n. cuiq; velle & quot capita, tot sententiæ, imò unus semper alterum prosequitur & potentiæ illius æmulatur. Nulla justitia: quoniam tunc imperantes agnatis & amicis suis jus & justitiam gratificantur, cum nemo sit, qui eosdem ad justitiam exercendam compellere possit. Quod in regno metuendum non est, cum ibi unus tantum majestatem teneat, inter quem & alium eadem potestate in suo regno discordia esse non potest, quiq; cæteros, si dissenserint, ad concordiam redigere, nec ita justitia supprimi possit. Rex n. aut ipse jus dicit, aut qui dicant, eligit & designat. Si ipse, supra metum aut gratiam est, magis avaritiam: & nihil istis, quæ præstringere oculos judicantium solent, donat. Si alii, sunt tamen ab ipso, & curâ eligit, & lectis jam superest & intendit. Non sunt iis sic libera judicia, ut non judicium hujusmetuant, & si quid fædi9 patrent, pœnam. (11)

§.3. Accedit, quòd in cæteris speciebus magistratûs temporarii obtineant, qui non tantam habeant curam Reipubl. ac ipsi Reges, cum hi curent Reipubl ferè ut suam, illi ut alienam. Imò sæpissimè minùs idonei, ubi multitudo est regnantium & magistratûs perpetuò mutantur, æqualiterq; omnes ad imperium admittuntur, uti in Democratia fieri solet, istiusmodi officiis præficiuntur, qui quid justum l. injustum neutiquàm intelligunt, & boni idoneiq; , qui rationem administrandi norunt, removentur, ut cæteris locus sit.

§.4. Quid de mora, quæ ex multitudine sententiarum, si bellum ingruit, l. alia expedienda sunt, quæ moram non patiuntur, item de divulgatione consiliorum, quæ in Aristocratia & Democratia vix possunt tegi, quia multis communicantur; (12) ut & factionibus, quæ inter cives in adeundis magistratibus excitantur, dicam? Quæ omnia hæc incommoda regnum non premunt, ubi unus omnia ad nutum suum gubernat.

C

§.5. III.

(9) l. ann. 6. (10) *Arniseus pol. cap. 10.* (11) *Lipsius Mon. pol. lib. 2. cap. 1. mon. 3.* (12) *Arniseus pol. l. cit.*



§. 3. III. Ratio, quæ regnum omnium Rerumpubl. optimam esse probat, est diuturnitas. Regnum Assyriorum mille trecentos annos duravit; Medorum ducentos sexaginta; Persarum ducentos triginta; Ægyptiorum ultra mille annos. De quanam alia Republ. tale quid affirmari potest? Spartanorum quidem libertatem quingentos annos floruisse legimus, sed quas clades civitas perpessa sit, notum est, ut m. proinde ulterius stare non potuerit. Causas hujus diuturnitatis regni, & e contrario inconstantia cæterarum formarum in secunda ratione attulimus.

SECTIO II.

Ratio statûs, sicut omnia fermè vocabula in ambiguo sensu usurpantur, ita quoque vulgariter pro eo, quod sub prætextu aliquo fit, accipitur. Vera a. & propriè sic dicta ratio statûs est, quæ media docet ad conservationem Reipubl. idonea, & definitur sagacitas in intellectu practico dirigendi media ad salutem Imperii & Imperantis. Finis rationis statûs est conservatio Imperii & Imperantis in suo statu. Ad hunc facilius obtinendum considerat eadem cum media, quæ absolute nihil aliud intendunt, quam conservationem status, tum pericula, quæ illi imminent. Nobis rationem statûs Regiam, generalioremtn. tantum, hic proponentibus de singulis agere animus est. Sit itaq;

CAP. I.

PERICULA EXHIBENS.

§. 1. Pericula, quæ Regi regnoq; imminent, primò hic, tribus tñ. saltem verbis, trademus, cum eò facilius, quomodo Rex se regnūque suum tueri possit? si pericula imminencia consideraverimus, intelligi posse arbitremur.

§. 2. Proveniunt a. eadem l. a causis internis, l. externis. Causarum internarum l. dicimus esse ipsum Regem, omniumq; periculorum maximum à vitiis Eiusdem regno imminere. Rex enim vitiis obrutus & deditus non corrumpit modò subditos, sed & ipsi nulla eorum aut regni cura est, sine qua tñ. Rempubl. consistere vix ac neququam consistere posse clarum est. Et sicut virtutes Principis potissimū, quod in subsequentiis demonstrabimus, conservandi, ita vitia destruendi regnum media sunt, cum

eo ipso favorem populi & auctoritatem amittat. Maximum propterea dicimus periculum, quod ex eo caetera quasi omnia pul- lulent, & hoc si aversum, caetera omnia eradicari posse censemus.

§. 3. II. Periculum, quod Regi & regno a causis internis expectandum, sunt Patricii & Nobiles, ne sc. iidem statum Mo- narchicum in Aristocraticum mutant; quod, si plebis donis & virtutibus suis amorem sibi conciliant, facile efficere possunt. III. Potentia privati, ne sc. quis potentia validus regnum ad se trahat, & Regem e regno ejiciat. IV. Timendum quoque Regi est, ne populus, eo quod vel praesentem Reip. statum fastidit, vel quod natura inconstans est, vel quod in nonnullis provinciis tam per- verso est ingenio, ut ob frequentia delicta merito mulctatus, Principem Imperantem modumque regiminis odio prosequitur, vel quod ob paupertatem, vel ob admitta facinora casti- gatus, afflictus & pressus male secum actum existimat, (13) po- pulare imperium introducere audeat. Atque hinc V. ne seditiones & conjurationes oriantur, cum plebis natura in easdem semper inclinaret, atque ex levissima etiam causa saepissime in rabiem pro- labatur. Nec VI. desunt hostes occulti, qui vitae Principis haud raro ob justitiam & probitatem suam, quam nonnullos quin offendat haud potest, insidiantur regnoque illum enudare al- laborant.

§. 4. Haec sunt pericula interna! Externa potissimum sunt sequentia: I. Hostes, qui quanta cura & industria regni ruinam machinentur, quis est, quem fugiat? & quanta industria ad ma- chinas eorundem destruendas requiritur! praesertim, cum hi ipsi sint, qui sibi de dissidio Regis & subditorum gratulantur, & tale si incidat, exoptatissimam ad opprimendum hostem regnumque sub suam potestatem redigendi occasionem, uti etiam revera est, arbitrantur.

§. 5. II. Potentia vicini quam horrenda Principi sit, ex eo, constat, quod illius cogitationes potissimum eo directae sint, quomodo regnum vicinum suae potestati subjicere possit? Cui itidem dissensus regni gratissimus erit, & sub praetextu compo- sitio-

C 2

(13) Septalius de ratione status lib. 2. cap. 22.



sitionis, defensionis aut succursus regnum ad se trahet. Quibus III. accedit favor populi in extraneum, quo hic nixus, si tumultus vel discordia inter Principem & subditos oritur, rerum facile potiri potest.

CAP. II.
MEDIA PROPONENS.

§. 1. Diximus supra, quòd omnis potestas à Deo sit, exinde nunc primum colligimus medium, quòd ad stabiliendum regni statum facit, ipsam sc. veram pietatem sive religionem, ceu fulcrum quasi & basin omnis Reipubl. & ejusdem rationis status maximum fundamentum. Sine hac enim non Princeps officium suum, non subditi facient: sine hac societas non erit, non fides, non justitia, non virtus; sed fraus, licentia, protervitas, & uno verbo, confusio hominum ac rerum (14) Hac sola virtute universa hominum constat societas: hic murus aheneus: hoc propugnaculum: hoc tutamen: hanc si tollis, vita hominum stultitiâ, scelere, immanitate complebitur. (15) Hæc ergo colenda: hæc ut in regno, tanquàm regiminis firmisimum fundamentum, vigeat, curandum est, utpote ex qua subditorum in Principem fides, admiratio, imitatio & obedientia erga magistratum, pietas in parentes, charitas in singulos, justitia in omnes, omniaq; deniq; bona oriuntur. (16) Exemplum qui desiderat, aspiciat *Mumam Pompilium*, qui, teste *Plinio* (17) haud ulla commodiore via quietum ac placidum reddidit animum efferum Romanorum in illis principijs, quàm religione; regnum etiam ita formavit ac firmavit, ut, quoad vixit, neq; ab exteris, neq; à subditis bello sit petitus.

§. 2. Exinde nunc secundum medium, quòd regnum in statu suo conservat, fuit, nempe, si Princeps novam non patitur introduci religionem, nec plures unâ in eodem admittit. Omnem enim religionis mutationem & variationem imperii mutationem & variationem excepisse historici testantur. Ut tempora veterum taceam, Hungaria, Germania, Austria, Silesia in theatrum

(14) *Lipsius mon. pol. lib. 1. cap. 2.* (15) *Schönbornerus l. cit. lib. 3. c. 10.* (16) *Hippol. à collibus Princ. cap. 4.* (17) *lib. de vir. ill. cap. 2.*

trum veniant: Has, si lubet, consule, satis de cladibus & incommodis, quæ ex mutatione religionis oriuntur, Te erudituras. Nova namq; religio novos mores, novos ritus, novas leges introducit, quorum populus impatiens nova quoq; molitur, unde conjurationes, coitiones, conventicula, minimè regno commoda res, oriuntur. His igitur ne locus sit, nihil circa religionem innovandum, talesq; novatores severissimè coërcendi. Multo minus diversissimæ religiones in uno regno tolerandæ, cum ex inde nil nisi discordiæ, odia, æmulationes, seditiones & laniens inter cives oriantur. Sermo autem nobis est de diversis religionibus in regnum noviter introducendis, quas permitti periculosum est. Secus verò se res habet de jam introductis, quas tolerare tutius est, quàm evertere. Plura de hisce videantur apud *Ludov. Septalium* (18) & *Schönbornerum*. (19).

§. 3. Juxta religionem nulla firmiora media regnum in statu suo conservandi invenimus, quàm benevolentiam subditorum erga Imperantem, atq; auctoritatem & prudentiam Principis. Benevolentiam subditorum propterea requirimus, quia hac eò proniores ad obediendum redduntur, & populum qui sibi benevolam reddidit, omnia pro lubitu potest, sicut de Augusto *Tacitus* habet, (20) quòd ubi militem donis, populù annona, cunctos dulcedine pellexerit, paulatim insurrexerit, munia Senatus magistratum, legum in se traxerit, nullo adversante. Amor tamen hic non ad id extendendus, ut propterea Princeps cuilibet, quod lubet, impunè agere permittat, qui potius, ut à bonis ametur, à malis verò timeatur, præcipit. Quomodo autem amorem subditorum sibi Rex conciliare possit, nunc videbimus?

§. 4. Primò dicimus justitiã, quam si princeps in se & erga subditos suos firmiter servat nec ulli injuriam fieri permittit, eamq; inter cives coli procurat, amor subditorum in eundem excitatur, proni eorum animi ad obediendum redduntur, ad virtutes impelluntur; cum justitia virtutum sectatoribus præmia, contemptoribus verò pœnas tribuat. Hæc virtus est, sine qua

C 3

nihil

(18) *l. cit. lib. 2. cap. 11.* (19) *pol. lib. 3. cap. 11.* (20) *1. ann. 2.*

nihil in imperii administratione laudabile efficitur. (21) qua remota regna nihil aliud sunt, quam magna latrocinia. (22) Nulla re [ad usum provoco] quæcunq; Respublica magis florebit aut floruit, quàm rigidâ & immotâ justitiâ : nulla re magis flaccescet & deficiet, quàm illa sublatâ. Hæc felicitas regnorum & statuum interna & externa est. Interna quidem : nam quis nescit scelera & flagitia per eam removeri, virtutes promoveri? Externa, quia agri, viæ, maria frequentantur, & securitas ubiq; ac tranquillitas regnant. (23)

§.5. Deinde liberalitate : hæc subditos cogit amare & obtemperare. Quod Marcus Antonius Pius apud *Herodotum* his verbis confirmat: neq; n. aut pecuniæ vis, aut stipantia satellitum agmina tueri Principem possunt, nisi illi ipsi, quos regas, animum imperanti benevolentiamq; accommodent. Quippe ii demum diututeq; imperant, qui non metum ex crudelitate, sed amorem ex bonitate civium suorum animis instillant. Non a. in quosvis liberalitas exercenda, sed in probos & idoneos, & paupertas honesta ab inhonesta discernenda. Quod de Tiberio *Tacitus* (24) prædicat, quòd ut honestam innocentium paupertatem levavit, ita prodigos & ob flagitia egentes, Vibidium Varronem, Marium Nepotem, Appium Appianum, Cornelium Sullum, Q. Vitellium moverit senatu, aut spontè cedere passus sit. Deinde haud nimis effusa largitio esse debet, ne, si ærarium ambitione exhaustum, per scelera supplendum sit. [25]

§.6. Porro clementia amorem subditorum Princeps in se derivat, si non statim in errantes invehitur aut violentiam in illos exercet; sed lapsis nonnunquam ignoscit, eosq; ad meliorem frugem redire sinit. Quali clementia qui imperium temperant, his candida & læta omnia sunt, etiam hostes æquiores, quàm illis cives. [26] Et quid? clementia Principis plus efficit sapissimè, quàm leges & earum pænæ secundùm tritum illud: verecundiam peccandi facit ipsa clementia Principis.

§.7. Quid

(21.) Cicero 3. off. (22.) Augustinus 4. de civit. DEI. (23.) Lipsius mon. pol. iib. 2. cap. 10. (24.) 2. ann. 48. (25.) Idem 2. ann. 38. (26.) Salust. ad Caesar.

§.7. Quid de humanitate Principis dicam? Eandem ut mediis conservandi Rempubl. accenseamus, facit, quod Princeps non tantum populum sibi eadem benevolum reddat, sed & benevolentiam in se maxime conservet. Solet n. inquit *Nicephorus*, benignitas morum & dexteritas in altioris dignitatis gradu facile omnium animos sibi reddere obnoxios, ut verno tempore splendidi flores prætereuntium oculos in se convertunt. Sicut de Germanico apud *Tacitum* [27] legimus, quod favor & spes eadem in eum fuerit ob civile suum ingenium, miram comitatem & diversam à Tiberii sermone, vultu adrogantibus & obscuris.

§.8. Sicut a. in omnibus rebus, ita & hic probe medium tenendum. Principem n. neq; expertem gratiæ, neq; severitatis habere par est. [28] Et nimia familiaritas Principis eundem autoritate suâ privat, quam tamen severitas, si, quando opusest, accedat, tueri valet. Exinde primum deducimus medium, quod autoritatem Principi non parit modò, sed integram m. & salvam servat, severitatem nim. Nihil n. in vulgo modicum; terrent, ni paveant: ubi pertimuerint, impunè contemnuntur [29] Alexander severus tantum severitate sua apud turbidos milites valuit, ut jussu illius depositis armis & sarcinis non ad castra, sed diversoria varia recesserint.

§.9. Fortitudo quid autoritati Principis conferat, ex eo constat, quod, uti Hippolytus à collibus loquitur, [30] omnes invictum animi robur nemini cedentis, nulli labori succumbentis, nullis periculis officia relinquentis admirentur: quæ admiratio majestatem parit, & talem quidem, quæ ipsum in summo honoris gradu collocat, & hostium animos & mentes sui splendore ita perstringit, ut ipsi spontè servire, quàm imperare pulchrius ducant.

§.10. Autoritatem Principi porrò maxime conciliat magnificentia, si Princeps semper circa magna versetur; species externa, gestus, cultus, vultus, sermo magna quævis spirent. Certum n. est, magnificentiam omnes in admirationem trahere, auctoritatemq; con-

(27.) 1. ann. 33. (28.) *Tacitus* 1. ann. 25. (29.) *Idem* 1. ann. 29. [30.] *Princip. cap. 25.*



servare. [31] Ad quam magnificentiam etiam aulae pompam, ministeriorum varietatem & copiam, satellitium ex diversis & exteris nationibus facere censemus. Exteras a. nationes huc referimus non eo sensu, ac si easdem indigenis praefereamus, sed ut majestatem suam Princeps magis magisque ostentet, ad quod pauci imò paucissimi sufficere possunt.

§.11. Accedit secessus & abductio, si non quotidie à suis conspicitur, nec se nisi cum majestate contuendum praebet [32] Majestati major est longinquo reverentia, inquit Tacitus [33] & causam hanc reddit, quòd coram adire alloqui Velledam legatis Agrippinensium negatum sit, dicens: arcebantur aspectu quòd venerationis plus inesset. (34) Et hanc rationem Reges quoque primae Monarchiae luxuriosi post Niciam ad Sardanapalum usque regnum tenuerunt & conservarunt. Nemini enim ad eosdem aditus. conspicendi facultas, & multominus colloquendi erat, sed per internuncios respondebant consulentibus & imperabant, quo ipso majestatem suam splendidiorum reddebant, atque ita conservabant.

§.12. Nunc ad prudentiam Principis devenimus, quae tum ad administrationem, tum conservationem regni respicit. Atque huc referimus primò, ut Princeps, quia multitudo & magnitudo rerum ac negotiorum non permittit, ut ipse omnia solus expedire possit, consiliarios & ministros, quibus certa expedienda deman- det, habeat. In quibus eligendis quanta cura adhibenda, ne idoneis & imprudentibus regimen committatur, cuilibet notum est.

§.13. Hoc tamen observandum, ne Princeps majestatem suam eo ipso dissolvat. Ad quod facit, si in omnibus rationem sibi constare, & mandata sua prudenter edita absque mora, & ut imperata sunt, expediri curet; si sine autoritate sua ministris nihil agere permittat, & jubeat, non disputet, nec populum in causas decretorum inquirere aut de secretis disputare sinat: aliàs vinculum potentiae suae dissolvitur, & periculosum est, ne ministri ejus Rempubl. pro lubitu & è re sua administrant.

§.14. Huc

(31) *Idem l. cit. cap. 27.* (32) *Idem l. cit.* (33) *1. ann. 47.* (34) *4. hist. 65.*

§ 14. Huc qq. mihi referenda videtur fides & veritas. Quam necessaria n. regno sint, quis quæso est, qui non videat, cognoscatq; , fidem primarium instrumentum esse, quo imperia confirmantur ac perpetua conservantur, id quod basis est rationis status? Illa n. est, per quam societates hominum continentur. Illa introduxit commercia; per hanc populi se invicem amicitia conjungunt, & tandem absq; illa nemo unquam præclari quidpiam poterit aggredi (35). Tolle hanc aut minue, raptus, cædes, bella erunt: atq; hæc nullo foedere aut pace terminanda (36) Cicero: nil fide, inquit, plus conservat Respubl. ita etiam, ut illa inimicis sit servanda. (37) Quæ n. calamitates violatores fidei, quanquam Reipubl. expediat, pænarum loco sequantur, ex historicis certum est.

§ 15. Dissimulatio tamen propterea Regi non deneganda. Sigismundus Imperator sæpius dicere solebat: qui nescit dissimulare, nescit imperare. Cui adstipulatur Isocrates: (38) Simulare ac dissimulare, inquit, cum tempus exigit, non dedecet Regem, idq; solum cum res publicas administrat: in privatis n. penitus in eo exulare debet. Et rectè: Principi n. introspectendi subditorum animi, cognoscendæ in se mentes, ut regimen suum ad id instituere possit, ad quod nullum aptius remedium, quam simulatio. Et prætereà, cum Princeps debeat tot homines audire & infinitas res percipere, ut eas expedire possit, absq; quod mentem suam animiq; secreta detegat, oportet, ut plurima invitum simulet, multaq; cum dolore dissimulet (39) Simulandum igitur quandoq; Principi est, & simulatio ad conservandum regni statum facit, non tamen quævis, sed recta, uti aliàs vocatur, quæ neutquam cum veritate pugnat, & citra ejus destructionem admitti potest; corruptam v. quæ cum veritate stare non potest, hinc removemus.

§ 16. Nec cum veritate pugnant diffidentia & taciturnitas. Quamvis enim doli fraudesq; vitandæ, nequaquam tamen ea propter necessum est, ut ita apertum habeat pectus Princeps,

D

(35.) *Septalius loc. cit. lib. 2. cap. 12.* (36.) *Lipsius loc. cit. lib. 2. cap. 13.* (37.) *3. off.* (38.) *in oratione ad Nicoclem.* (39.) *Septalius loc. cit. cap. 13.*

conferatq; adeò liberè cum aliis de rebus sibi agendis, ut quivis nullo labore consilia ipsius penetrare possit, [40] multominùs, ut cuivis fidem habeat, nec unquam credendo cunctetur. Taciturnitatem non tantùm in Principe, sed & consiliariis maximè requiri ex eo deducimus, quòd arcana domùs Principalis l. Regiæ divulganda non sint, cum eo ipso Respubl. dilapidetur, si quivis intima & occulta consilia norit, quia sic ad hostes perveniunt, qui, si agnitionem arcanorum habent, Regem facilè è regno suo ejicere possunt. Diffidentiam ex eo probam, quòd multi sint, qui vitæ non tantum Regis, sed & regno ipso insidientur. Et cum mundus fraudum, insidiarum, & perfidiæ plenus sit, diffidentia nobis magistra est, ne per earum laqueos capiamur. (51)

§. 17. Ad conservandum regni statum insuper haud leve est, quod facit, si Princeps animos subditorum probè cognitos habeat, & an in libertatem l. servitutem inclinent, sciat. Illi n. mollius paulò tractandi; hi v. premendi & durius illis habendi: aliàs, cum libertatem ferre nequeant, statim recalcitrant, contra Principem insurgunt, tumultuantur, nec DEI, nec hominum autoritas apud eosdem quicquam fermè valet.

§. 18. Quare & delatores & observatores Regi haud expedire negamus, quòd eo ipso insidiæ, si quæ ipsi struantur, & conjurationes aperiantur, ut & animus subditorum & quid de eodem sentiant, detegatur, itè sitne ex plebejis qui ipsi animo inquieto, seditioso & ad arma prompto: quiq; l. ipse l. auxilio cujusdã divitis nobilisve ejusdem ingenii, quicquam moliri posset, Princeps certior fiat. (42) Quæ si Principi referuntur, iisdem prævenire, & res suas, ut imposterum talia avertat, rectè ordinare potest. Cautelâ tamen hîc iterum quadam opus est, nim: ne Princeps istiusmodi exploratoribus, qui invidiâ odioq; moti innocentem nonnunquam accusant l. falsa deferunt, temerè aures præbeat, sed in rei veritatem, antequàm quid moliat, inquirat.

§. 19. Diximus in antecedente capite, quod Regno Regique magna pericula à patriciis & potentiâ privati cujusdam imminant, ne regnum in Aristocratiam mutant ad se trahant, aut

(40) *Septalius l. cit.* (41) *Septalius l. cit.* (42) *Idem l. cit. cap. 22.*

quispiam Regem de throno deturbet, & ipse eundem ascendat. Hæc ad evitanda varia iterum adhibeat media necesse est. Quorum primum est, ne Princeps quenquam nimis subvehat, vel in uno aliquo omnia reponat, cum eo ipso ad majora concupiscenda instigetur & nimia potestas avaritiam & arrogantiam pariat. Deinde, si alicujus consilio in peragendis arcanis utitur, ne illius consilio semper acquiescat, aut illud sibi placere ostendat, ne elatus minister consilii nomine arbitrium rerum ad se trahat, & negotia imperii non ut minister gerere, sed ut imperii socius audeat, uti *Ant: Perez* loquitur. (43.)

§ 20. Porro huc qq. facit, ne virtute cæteris præcellentes ad imperiũ simul qs. admittantur, cum ii ipsi facile consequantur favore populi, & ita contra Principẽ quicquã moliri possint. Quod benè intelligebat Tiberius Imperator, ideoq; illius, teste *Tacito*, (44) ut callidum ingenium, ita anxium judiciũ erat. Neq; n. eminentis virtutes sectabatur, & rursus vitia oderat, ex optimis periculum sibi, à pessimis dedecus publicum metuebat. Et deniq; si Princeps quempiam nimio amore populi & potentia munitum videt, illum removeat, & potentiã suã privet, aut specie honoris in remotiora loca abire jubeat, ne favore populi nixus potentiã suã abutatur & in illum vertat. Quæ tamen omnia magis de novo regno, quàm inveterato obtinent, cum in hoc imperanti talia non adeo timenda, quàm in illo.

§. 21. Hoc qq. Principem securiorem à plebejorum incursione facit, si se magnifacere plebem simulet, seq; paratum esse illi nonnulla officia dignitatesq; concedere. Ea n. plebis natura, ut ante omnia m. velit sui rationem haberi: quo impetrato alia publica penitus negligit. De quo videatur *Septalius* (45)

§. 22. Insuper regnum firmum redditur, si ab otiosis hominibus & alteri servire erubescantibus purgetur, cum hi non vitia modò, omniaque flagitia, imò seditiones meditentur; sed & alios ad ejusmodi facinora invitent. Quibus mederi potest, si Princeps eosdem aut castra sequi cogat, aut operibus publicis

D 3

coerce.

(43) *jure publ. cap. Princeps consilia paucis revelet, pag. m. 113.* (44) *l. ann. 80.* (45) *l. c. cap. 12.*

coerceat, aut m. tributis in istos vitiosos impositis, ut alterius potestati sese dedant, adigat.

§. 23. Custodiam & satellitium Principis quod attinet, iisdem ob perfidiam hominum maxime indigere censemus. Rationi consentaneum scripsit *Aristoteles*, Principem satellites alere, custodesq; armatos tam ad subditos in officio continendos, quam m. ut contra vim apertam occultasq; hominum pravorum & seditiosorum subditorum insidias se defendat. Et quidem merito. Quem n. plures insidiæ & æmulationes prosequuntur, quam Principes Viros? Et Regum exitus si reputaverimus, inquit *Curtius* (46) plures à suis, quam ab hoste interemptos numerabimq.

§. 24. Hoc munimentum est contra hostes occultos: necesse m. est, ut contra apertorum & manifestorum incursum sese Princeps munit. Quò facere arbitror, si exercitum & alia omnia ad militiam necessaria semper in promptu habeat, quò se ab improvise advenientibus hostibus defendere queat, ut & arces quasdam possideat, quo tempore necessitatis cum Charissimis suis confugere, aut m. Gazam Regiam conferre possit. Hoc a. probè observandum, ut miles, si per Dei gratiam nulla occasio belli suppetit, aliis laboriosis operibus coerceatur, cum intermissis solitis muniis lasciviat, discordet, pessimis cujusq; sermonibus præbeat aures, deniq; luxum & otium cupiat, disciplinam & laborem aspernetur. (47)

§. 25. De arario cum neminem esse certus sim, quem lateat huius utilitas, nihil dicam. Unde n. si casus quidam necessitatis pecuniam requireret, nec eadem statim in promptu esset, desumenda? nonne antequàm colligeretur, totum imperium perire posset? Sed quanquam multa adhuc proponenda sint, cum plura angustia chartæ non admittat, Tecum, cum quo

coepimus, finimus

O JESU!

(46.) lib. 9. (47) Tac. l. ann. 16.

com

nc

736.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

KODAK Color Control Patches ©The Tiffen Company, 2000

Kodak
LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

